

arcana non ista statim sunt profanata, quando etiam Plato ad Dionysium scribens in aenigmate sibi loquendum esse ait. Perduravit hic mos aliqua ex parte in Aristotelis, Epicuri ac Stoicorum scholis: qui doctrinas quasdam omnibus sine delectu, alias  
 5 selectis tantum discipulis proponebant. Mos igitur occultandarum scientiarum a Noe derivatus omnem antiquitus regionem pervagavit. Deinde CCCC ab hinc annis renovatus quibusdam in sapientiae partibus est, nam quod olim Aegyptii chymistae et Arabes alchimistae factitarunt, Raymundus Lullius renova-  
 10 vit, quem chymici omnes nostrates sunt secuti et in medica re Theophrastus Paracelsus. Sub aenigmate enim et loquuntur et scribunt.

Aristoteles autem loco omnis alterius velamenti obscuritatem verborum, clausularum, sententiarum, argumentationum,  
 15 methodorum elegit eisque ita usus est, ut occasionem dederint Themistio viro magno, fautori ac sectatori suo, affirmandi, eum ita scriptis suis obscuritatem inspersione, ut sepia cum sese piscatoribus occultare vult, atramentum aspergit. Et Simplicius Prolegomenis in Praedicamenta clare scripsit:<sup>14</sup> *Nec vero fabulis nec*  
 20 *symbolicis aenigmatibus, ut ante eum quidam Aristoteles est usus, sed loco omnis alius velamenti obscuritatem elegit.* At cur nulla antiqui moris, nulla tam magnorum virorum (a quibus philosophiam omnem suam haurire non est dedignatus) sapientiae habita ratione eos omnes acerbissime carpsit? Illorum arcana profusa ora-  
 25 tione reseravit? Illorum inventa maxima ex parte sua fecit? Hoc superioris tomi libris planissime plenissimeque ostendimus, hocce ac sequentibus ostendemus, quando ab eis discrepare voluit, eum nullo iure, nullo merito, nulla ratione aut causa eos vexasse. Id autem faciemus, non cunctas eius vexationes recensendo, sed  
 30 illas duntaxat quarum testimonia vel ex ipso Aristotele eruere vel ex eorundem philosophorum scriptis vel authorum aliorum magnorum, relationibus colligere poterimus.

<sup>14</sup> οὐ μὴν οὐδὲ μύθοις οὐδὲ συμβολικοῖς αἰνίγμασιν, ὡς τῶν πρὸ αὐτοῦ τινες, Ἀριστοτέλης ἐχρήσατο, ἀλλ' ἀντὶ παντὸς ἄλλου παραπετάσματος τὴν ἀσάφειαν προετίμησεν. [SIMP. in Cat. 8.6.32]